~~Począ. 1459.~~

~~Historia Polon.~~

~~Michael Wisniowiecki.~~

Paean

Scholar. Piar.

Varsav. Coll. S. P. Poeseos studiosus: Paean battisticus inter ipsos victoriis Poloniae triumphos.

PÆAN BALLISTICVS

Inter ipſos Victricis Poloniæ triumphos,

Per

Sacræ Poëſeos Studioſos Collegij Varſauieñ. Piarum Scholarum

In

Menſtruo Decembris exercitio

DECANTATVS,

Et

Tum luci publicæ, tum oculis Illuſtris & Magnifici Dñi SIGISMUNDI HOLLO de Krompach, Sacræ Reginalis Poloniarum Maieſtatis Camerarij,

CONSECRATVS

Anno Sexcenteſimo Septuageſimo tertio, ſupra Milleſimum.

In Stemma Vetustiss. Domus Coruinorum.



Plurima seu memoris quæratur copia famæ,
Hic Aquila ingentes porrigit eius opes.
Prælia Catholicæ, seu quæras digna Camillis,
Prælia pro solâ Crux canit acta fide.
Seu [illegible] ad nullos perterrita pectora casus,
Vel Leo suspensos abijcit ipse metus.
Æterno ut tandem durent hæc omnia nexu,
Hinc CORVUS *teretem fert sine fine rotam.*

IOSEPHUS de BOIKOW ZAWADZKI Poëseos Studiosus.

ILLVSTRI & MAGNIFICO DOMINO,

D. SIGISMVNDO HOLLO DE KROMPACH, SACRÆ REGINALIS POLONIARVM MAIESTATIS CAMERARIO.

NOn ad alium victrices acies nostras direxisse placuit, quam ad gentilitium Tuum Coruum ILLUSTRIS & MAGNIFICE DOMINE. Amicus hic ales triumphis est, vbi tum Valerio auxiliarem operam, tum Alexandro pulchram è Beti victoriam felici sanè attulit augurio. Et positus in rostro annulus non iam Cānensis cla- Romanis indita, sed de Turcis raptas ab Illustrissimis ma- ibus Tuis prædas indubiè repræsentat. Fecere maiores Tui, nominis nō interitura memoria eos hucusq; magnos nobis uatur Alcides, magnos loquatur Hercules. Facis & Tu Christianum deceant Achillem, dum non alio fine ad rmaticam Te contulisti aquilam, nisi vt virtutis Tuæ a- res campum, & dum cum Othomano Polonia præliares rcet iras, Tu quoq; Tuum probares animum. Nec fefellit n Tuam Poloniæ virtus. En quod Tuum Martis famo- impleat, Polonæ virtutis habes exemplum, quæ paucis diebus suas cum hoste conseruit manus, & eâ potentiâ

minacis Lunæ attriuit cornu, quod non facilè succrescat. H
bebis hic Tuæ non dißimiles indolis, quos iam & virtute
Polono sanguine Tuos fecisti, vbi Illustrißimæ Osolinscio
coniunctus familiæ Sarmatiæ nostræ quodammodo incorp
ratus es. Adeo è magnâ domo, nil nisi magnum est,

nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam. *Si Tu magnus Osolinsciori*
sanguis nil agis. quod non Osolinscijs sit dignum. Nolum
hic inoportuna verborum auxesi Tuas loqui laudes, Tu i
loqueris, vbi ea semper ad orbis oculum agis, quæ omni elo
maiora Tuis seruiunt adoreis. Quare cum tantus sis, om
virtutem Tibi deferimus, quos quia fauens suscipies, non
fidimus, cum illi sint, quorum nomina orbis amat. Faten
equidem non eam hic Pöeseôs esse maiestatem, quæ dignè
tam scenam luctantium inter ipsas mortes pugilum describ
sed dabis veniam non nescius modestiùs tantisper sua vi
ra Phœbum, vbi rigidior Mars clarior es excitat tubas.
ingentes Tibi habemus gratias dum quod pro menstrua
cembris declamatione vnius vesperis spatio elaboratum
voce attolli posse existimauimus, Tu vt lucem videret, i
sti. Addis animos, quià alacriùs ad plura incumbemus
vel in his paruis experti fauorem. Modo Tu beneuolus
listicum hanc Pæanem accipe, plura postea (addimus &
liora) ab eodem habiturus calamo.

Illustris & Magnificæ Dominationis Vestræ,
Obseruantissimi
Pöëseos Studiosi in Collegio Varsauien. Scholarum Pia

PÆAN BALLISTICVS.

TAndem feroces ponere Bosphorum
Minas coëgit Lechus, & vltima
Damnauit eclipsi Gelonam
Sarmátiæ grauis ira Lunam.
Audens auitæ rursus in indolem
Subire gentis, quam prius effero
Probauit in Moschi dracone,
Et validi per aperta Sueci
Trophæa duxit. credite posteri
Despectiori Bistonas agmine
Cessisse nunquam, quàm Polono
Dum domiti cecidêre ferro,
Et præliares fortis adoreas
Martis coacti cedere, Lechicas
Juêre sub palmas priorem
Jndociles retinere Martem.
Eheu Polono quæ noua nomini
Portenta surgunt! quæ bene Martios
Luctata per campos decoræ
Non recipit monumenta famæ

Heroa pubes! ſurgite Sarmatæ
Et Martiarum robora mentium,
Nunquam receſſuri decoris
Perpetuâ redimite lauro.
Victor Polonus neſcius igneæ
Ceſſiſſe Lunæ iam poſitum ſuper
Triumphat aſtrum, iam triumphat
Moldauicæ ſuper arua terræ.
Proh quanta noſtras bella per areas!
Quanta & Polonam Martis in alitem,
Effuſa tempeſtas Geloni
Nimbiſonis fluitans procellis!
Dixiſſe ſperem non ego, ferream,
Si lingua vocem, ſi mihi plumbeum
Det vena pectus, me trecentis
Poſſe nego recitare ſæclis
Vallum cateruas clauſerat hoſticas,
Et fuſus auro miles in aſpero
Ferro relucentem Polonum,
Ac galeis & acutiore,
Conto nitentem noluit impigro
Ferire niſu; deſes at in ſuis
Hærebat aruis, nec patenti
Auſus erat coiiſſe campo.

Timet

Timet cruentas ſcilicet aureus
Thorax Sariſſas, Callaium quoque
Rubet talentum, Martialis
Fulget vbi noua flamma ferri
Ergo paternæ haud immemor indolis
Audaciores Lechus in impetus
Aſsurgit, & Turcam venuſto
Prouocat intrepidè duello.
Jpſe ipſe primos Sarmaticus capit
Athlas furores, atque SOBIESCIIS
Æquandus Alcides Gradiuis
Ante equitum peditumque turmas
Auos priores atque atauos ſuo
Reducit auſu: bellaque pro fide
Pro patria, & quidquid paternas
Inter habent melioris arces,
Mouere ſuadet: ſtridula claſſici
Vox ſtringit aures, tum litui, fero
Tum concha bombo, clariori
Tum crepitans tuba clangit ære.
Clamor ſub ipſum redditur æthera
Plauſuque mixtus membra quatit pauor,
Et bella miles, & feroces
Quadrupedans equus hinnit iras.

Jam tela, ſtridens euolat alitis
Jam grando ferri, fertur in horrida
Vtrinque Mars durus duella,
Et rigidos micat inter enſes.
Horrendioris donec ahenea
Hinc inde nubes creſcere pulueris
Cæpiſſet, ac à ſulphurato
Multus ager micuiſſet æſtu.
Hic enſis enſi, ferrea ferreis
Hic ſcuta ſcutis, redditur indito
Hic ictus ictu, nec decoras
Impatiens ſinit ira rixas.
Vtrinque cæco Marte per editos
Pugnatur agros, nec furor igneos
Deponit auſus, Martiales
Sed retinet violentus artus.
Et fluctuauit bellica conciti
Fortuna Martis, nec leuiter duas
Nutabat huc & huc per horas
Intrepidis renouata pugnis
Bellona: fortis donec in impigros
Accenſus auſus miles, in infidis
Trophæa deponit Gelonis
Fraxineâ metuendus haſtâ.

Eheu cadentûm quas ego Biſtonum,
Cantabo ſtrages! quanta Othomanicos
Ruina per campos, Gelonos
Quæ facies micat inter hoſtes.
Et quanta diffuſæ inter aheneam
Nubis procellam fulmina Tracicis
Induntur aruis. ſiue fortem,
Intrepidus MOTOWIDLO Thracum
Petat phalangem, ſiue PISARSCIUS
In fortioris robora militis
Excurrat, & fundat cruenta,
Egregiam ſuper arma vitam.
Seu maior ipſo maior ab Hectore,
Et Patre magno filius haud minor
SIENIAWSCIUS ZELECCIANIS,
Caſtra petat recreatus auſis.
Vbique magnos ſanguineus furor
Miniſtrat auſus, vndique bellicis
Inſtatur armis, & reuulſis
Plenus ager tremit ipſe truncis.
Heu quale munus gloria Litauæ
PAC magna gentis, quale per impios
Decus redorditur Boruſſos!
Threicios vbi ſolus ignes,

Et tela, & enſes, & grauium manus
Suffert Cydonium. quanta vel indolis
Trophæa WISNIOWIECIANÆ!
Quæ intrepidi documēta cordis,
Ardorque pugnæ! Lechus in æreos
Hic currit enſes, corpora barbaris
Lithuanus hic obiectat armis
Et geminas furor vnus alaś
Accendit, ô quo non ruis agmine,
POTOCCIANI gloria Stemmatis!
O ſplendor! ô Siradienſis
Grandè iubar columenque terræ.
Auditis? eheu diſcite poſteri:
Solus minacis fulmina Concani
Subiuit & Parthos feroces
Vexát equo Cilicumque turmas:
Donec Polonus miles ad impigrè
Luctantem Achillem venit, & hoſticis
Hiántem in armis non pudendo
Intrepidum bene iuuit auſu.
Tanti decoris porrigit æmulos,
Et Fráter auſus, quando per arduos
Baltiſque Cimbrorumque tractus
Iuuehitur, rabidoque voluit
Bactra

Bactra ipsa motu; hem quæ LUBOMIRSCIÆ
Non scena dextræ! quantus in ægide
Discurrit heros! quantus ipso
Mars residet generosus ore!
Vidit paternam Bosphorus indolem,
Et sensit Ister, dum tereti bene
Formosus hasta vel cruentum
HIERONYMUS fugat vnus agmen,
Vel bellicosis totus in ictibus
Suos in atri pectore Bistonis
Demergit enses, & supinas
Sternit eques Cilicum cateruás.
Sic sic Polonas maximus occupat
Furor phalanges, sic furor hosticas
Impugnat arces, ac in ipsis
Fata iubet retinere campis.
Sic præliares inter adoreas
Luctatur acer Sarmata, Bistonum
Cæpere sic tandem fugatæ
Non leuiter trepidare Lunæ.
Talis frementes cum Notus excitat
Irátus alas, piniferas manet
Ruina syluas, & proteruo
Nunc sterilis cadit Ornus Euro

Con-

Concussa: celsas nunc petit ilices
Nimbosus Auster, nunc Mareoticas
Procumbit ad vires, & almas
Trux Boreæ quatit aura pinos.
Hic iam gementis quas ego Lachrymas
Cerno Tyranni, dum capitis minor
Videt satiscentes cohortes
Signa videt trepidare fuso
Heroe, Miles ne meus asperum
Post hac Leonem tangat & impigro
Ausu duellantem Minores
Ne lacerent aquilam columbæ,
Suspirat; instat Lechus aheneis
At Victor armis, & trepidum pecus
Trudit, nec imbelles resumpto
Bella iubet renouare nisu.
Ergo futuri nominis immemor
Dat terga victus Concanus, Arcticum
Istrumque confugit, volucres
Non modicus dedit horror alas
Sed quid Polonam luderet alitem,
Latè vagantem quidue potentiam,
Vitaret? obuiam ferocem
Rursus habet fugiens RADIVILUM
Hostis

Hostis. resumptis hic iterum minis
Deprælianțûm iurgia Militum,
Tolluntur; ac vtrinque seruêns
Sanguineas agit ira cædes.
In tela in enses non timidos vehit,
RADIVIL artus, cuius ab indito
Thrax vnus ictu ditiori
Haud modice trabeatus ostro
Letho propinquat, mox SAPIEHÆ, suo
Mox tota nisu signa fugacibus
Instant cateruis, & coruscis
In Cilices rapiuntur armis.
Vicit Polonus nec tulit impetum,
Prostratus hostis. qui modo Lechicis
Vel fusus armis decolores
Ponit humi moribundus artus;
Vel in profundi flumina Nerei
Præceps auari gurgite vorticis
Absorptus effundit molestam,
In tumidis animam procellis.
O quæ cruentis arua cadauerum,
Non plena truncis! sanguine feruido
Quæ stagna non vndantur, Ister
Quam solidum tenet ipse pontem,

E Turcicorum pondere corporum.
Ter dena fudit Millia Thracici
Polonus hoſtis, præliarem
Vix aliquo fugiente mortem.
Quos hic aceruos non video oſſium
Dum vel ſupremos inter anhelitus
Suique non compos Polonus
Mordet adhuc moribundus hoſtem.
Auſus Latinæ Stemmata gloriæ
Vocare, Magnis fretus vt auſibus
Stridente decumbens iacentem
Dente petit Numidam Latinus.
Jo triumphe! Threicij canes
Sui minores Sarmatico gemunt
Fuſi duello. Lechus vnos
Victor ouans agit Io plauſus!
Jo triumphe! Thrax vbi propria
Statiua nuper fixerat, hic pias
Dux figit aras, Chriſtianus
Et Superos veneratur Hector.
Jo triumphans Leche per vltimos
Incede tractus, nec tua Thracicum
Per regna permittas Tyrannum
Horribili reſonare motu.

Dixi:

Dixi: resumptis cùm mihi viribus
Plùs Lechus vltrà durum Othomanici
Cornu fatigaturus astri
Magnanimos meditatur ausus.
At nec decoræ transit adoreæ
Vos palma manes, vel medijs damus
Bustis honorem, Martiales
Quæ retinent veneranda dextras.
Jo vel ipsa Magnus & inclytus
Iacebit vrna puluis! & igneis
Prostratus in campis sub ipsos
Magna vehet sua facta cœlos
Mauors Polonus. nec Getica satis
Et nube pulchras nectere laureas,
Acturus in cœlis triumphum
Æthereas petit Io nubes!